



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

KYRGYZSTANIAE*

Missio sui iuris in Republica Kyrgyzstaniae
ad gradum Administrationis Apostolicae evehitur.

In Kyrgyzstania spiritali fidelium commoditati consulere volumus, ad quorum salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare festinamus, unde pusillus hic Domini grex affatim adolescat ipseque inter gentes Salvatoris bonum nuntium beneficiaque demonstret. Itaque, Apostolicae Nostrae potestatis suffulti Nos plenitudine, Missionem sui iuris in Republica Kyrgyzstaniae, Evangelii verbis praeceptisque inibi diffundentis destinata, ad gradum dignitatemque Administrationis Apostolicae evehimus atque attollimus. Quod omne ad exsolvendum Venerabilem Fratrem Iosephum Wesółowski, Archiepiscopum titulo Slebtensem seu Sancti Fiacci inter montes atque in Kyrgyzstania Apostolicum Nuntium, constituimus, facta videlicet facultate quempiam virum ecclesiastica dignitate praeditum subdelegandi.

Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die duodevicesimo mensis Martii, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri primo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVIII (2006), n. 4, pp. 308-309

© Copyright 2006 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana